

non autem bona opera tanquam causa vita æternæ commendantur) Posito tamen patientiam Mosis respexisse præmium vita æternæ, habemus manifestum & expressum interpretem Paulum Apostolum *Rom. IV. 2. 3. seqq.* distinguendum inter mercedem ex debito, quod propriè merces est, & inter mercedem ex gratiâ, quæ impropriè & analogicè merces dicitur. Habemus expresse negantem Apostolum, quod sive justitia sive vita æterna Abrahami, aut cujusquam aliis operibus collata fuerit tanquam merces, sive ex debito, sive ex gratiâ talis, sed (quod probè notandum est) vita æterna tanquam merces ex gratiâ & impropriè sic dicta soli fidei, exclusis etiam operibus ex fide factis attribuitur. Quotiescumq; igitur bonis operibus à fide distinctis adscribitur vita æterna, tanquam merces, supponendum est 1. tanquam indubiam, vocabulum mercedis sumi impropriè pro mercede ex gratiâ sic dicta, 2. omnia ista dicta secundum apologeticam A. C. p. 87. 96. 116. 136. 138. & Chemnitium *in loco de bonis operibus responsione ad 6. classem argumentorum adversariorum*, ubi de vocabulo mercedis agitur, quoad resolutionem subjecti in ipsis propositionibus, expona nenda sunt per metonymiam effecti pro causâ, quod videlicet de bonis operibus tanquam signis in oculos incurrentibus Fides in oculos non incurrentis prædicentur metonymicè, quemadmodum illud *Luc. VII. 47. remittuntur ei peccata multa, quia dilexit multum*, Apol. Augsp. Confess. pag. 88. exponit. Tollerat autem hanc diversitatem vocabulorum, seu dependentiam diversitatis pro diversitate subjectorum, de quibus ista *vocabula, mercedis, redditionis, finis* Sc. prædicantur, & obniti vocabulum mercedis, finis aut redditionis, quando pietati vel operibus bonis tribuitur ut *Rom. VI. 22. finem sanctimoniae habetis vitam eternam*, eundem dependentiæ modum determinare, quem determinat prædicatum de fide, ut *I. Pet. I. 9. Habentes finem fidei vestrae salutem animarum*, hoc quod si à Dd. A. C. fiat, vera prævaricatio est, quando nempe ii, qui A. Conf. defensores & advocati videri volunt, parti adversæ exceptiones & argumenta faciunt, ut suæ partis exceptiones & argumenta elidant, hæc *apud Jureconsultos propriè dicta prævaricatio est*, ut ex Martiale, Ulpiano, Labeone, Cicerone, Plinio, Hotomanno definitivit Joh. Goddæus in *Comment. de rerum verborum significationibus ad legem 212.* Conferatur D. Hornei iterata assertio, à *th. 92. ad 100.* Ubi examinantur omnia ejusmodi dicta & propugnatūr non solum idem modus dependentiæ, idem significatum

finis